1628. 26. 7bris Ex Epis. MS. Lubien. in Arch. stan. Aug. Regis

83

# Stanislaus Lubienski
## Nuncio Apostolico

Scribit mihi ab Urbe Dominus Ciriolus suppatatis rationibus expensarum, fere suffecturam pecuniam a me missam, de centum aureis quos collegium Clericorum Camerae ultra antecessoris mei expensas petit, adhuc disceptatio est, et hanc summam centum aureorum nisi dicti Clerici remiserint, recursum habebit dominus Ciriolus ad illustrissimum dominum, fratrem illustrissimae C.V., quamvis ut video nondum accepit literas meas, quibus illi significaveram, a quo siquid amplius impendendum esset, peteret. Proximis literis sciemus quid isthic factum fuerit, in me autem nulla mora erit, quin totum id quod mea causa in Urbe praestitum fuerit, repraesentem. Et umillima mea obsequia defero illustrissimae C.V. Cracoviae die 26. Septembris Anno Domini M.D.C.XXVIII.